

20. *Hodie quatenus evincitur eatenus reditur.*
 21. *Conceduntur hoc caſu Littere Regie.*
 22. *Sine Judicis auctoritate non reditur ad beneficium, cuius poſſeſſionem aliter eſt adeptus.*
 23. *Regreſſus ex cauſa non impleta permutacionis nec hodie damnatus.*
 24. *Multi irreperunt circa beneficiorum reſignationes, quibus circumſpecte utendum.*

Beneficiorum reſignationes faciendas, & probandas eſſe coram Superioribus, vel ſaltem Ordinariis Collatoribus, ſupra cap. 2. oſtenſum eſt. Hinc communiter concludunt Canoniſtae, renuntiationem vel reſignationem non eſſe perfectam, quamdiu à Superiore admiſſa non eſt.

Ex quo ulterius inferunt, quod antequam reſignatio ſit præſentata Superiori, & ab eo admiſſa, ſemper poſſit revocari; neque ipſa Superioris admiſſio retrorahi poſſit, aut valere *ex tunc*, ſed tantum *ex nunc*: ita ut interim nihil actum cenſeatur.

II. Imò communis & recepta eſt Doctorum conſuſio, uti notat Auctor Analyſis ad regulam *De Infirmis num. 7.* quod reſignatio non admiſſa nullam vacationem inducat, nec poſſeſſionis quidem, niſi (quantum ad poſſeſſionem) fiat animo ex tunc (ſine alia Superioris admiſſione, vel authoritate) poſſeſſionem abdicandi, & de facto illam deſerendo.

III. Idem auctor ibidem *num. 4.* reſeſcit: "Ex eo, quod ſtylus quorundam imperitorum Tabellionum ſic habet, Titius perſonaliter comparens *reſignavit*, prout de facto *reſignat* in mei præſentia, & tales ad hoc conſtituit, procuratores &c. putant & arguantur vulgares, ſtatim reſignationem eſſe factam, quod eſt falſum (ait) quia nemo ſeipſum deſtituere poteſt, nec Tabellio quidem, qui non habet hanc poteſtatem, nec hoc intendit. Tum ſequitur quod beneficium non vacaret in Curia, ſed in partibus ubi conſectum eſt inſtrumentum, etiam ſi poſtea deſerretur Romam, & ibi ruiſus reſignaretur, quia non impeditur ibi vacare, & ſic non in Curia, cum jam vacaret, & ſic in partibus.

IV. Haecenus dicta indubiè magis militat in reſignatione *in favorem* aut *ex cauſa permutacionis* (quales ſunt hodie pleraque reſignationes) quam in reſignatione pura & abſoluta quæ renuntiatio ſeu dimiſſio vocari conſuevit.

Reſignatio enim *in favorem*, vel *ex cauſa permutacionis*, non eſt proprie dicta Beneficii dimiſſio; ſive ipſe reſignans non intendit *abſolute* & ſimpliciter ſe beneficio exere, vel Beneficium à ſe dimittere; quemadmodum in renuntiatione ſimplici, ſed tantum Superiori exponit, ſeparatum, Beneficium dimittere, ſi placeat, hanc determinatam perſonam ei ſucceſſorem dare, vel de uno ad alium locum, in caſu permutacionis compermutantes tranſferre, ſive in mutua Beneficia ſurtogare.

Inde habentur huiusmodi reſignationes quaſi *conditionales*, ſive ſuſpenſivæ à conditione hac, ſi modo beneficium detur juxta terminos reſignationis: uti latè oſtendit Flaminius *De Reſignat. Beneficiorum lib. 1. quaſt. 2.*

V. Cum igitur huiusmodi reſignationes dependeant à conditione, conſequenter nec reſignans à ſe abdicare cenſetur juſ niſi adimpleta conditione: atque interim juſ remanet apud reſignantem; quin & poſſeſſio, & actio ſpolii ei competit, ut poſt alios citatos tradit Flaminius loco citato *quaſt. 3. n. 10.* additque *n. 11.* "Eſt communis omnium Doctorum reſolutio, ut ante conditionem vel modum impletum, beneficium maneat reſignanti.

VI. Ulterius cum conditio reſignationis *in favorem* ſit ut beneficium conferatur certe perſonæ per reſignantem designatæ, rectè colligitur, "non abdicare juſ à reſignante, niſi Beneficiorum reſignatum acquiratur Reſignatario,

in cujus favorem fuit facta ceſſio. Ita Flaminius ibidem *num. 47.*

Rationem ſubjicit *num. 48.* "Namque ſemper videtur facta cum hac conditione reſignatio, dummodo beneficium quæretur reſignatario. Et hoc intelligitur, licet non exprimitur: quia mens reſignantis eſt, ut non alius, quam reſignatarius conſequatur Beneficium.

Deinde ex eadem ratione adjungit: "Ita & in renuntiatione facta cauſa permutacionis juſ non abdicatur, ſi non ſequatur permutatio, & fiat hinc inde collatio.

VII. Ulterius rectè concludit *n. 56.* quod licet ſit admiſſa renuntiatio *in favorem* perſonæ designatæ, ſi tamen hæc perſona fuerit abſens, non abdicatur juſ à reſignante, antequam acceptet ille reſignatarius. Conſequenter mortuo reſignatario ante acceptationem, reſignans remanet in poſſeſſione, ac ſi nulla reſignatio interveniſſet.

Imò concludit idem Flaminius *quaſt. 7. num. 9.* "poſſe reſignantem incumbere poſſeſſioni, & omnia pertinentia ratione illius beneficii reſignati exercere & gerere donec Reſignatarius *capiat poſſeſſionem.*

VIII. Idipſum latè probat Joannes Chokier in tractatu *de Permutacione Benef. parte 3. cap. 32.* nam ante acquiſitionem ſeu apprehenſionem reſignatarii ſeu Compermutacionem reſignans ſeu permutans dicitur adhuc poſſidere, & titulum coloratum habere: imò ſi illi poſſeſſione ſpoliaretur, veniret reſtituendus: quia reſignans *in favorem* certæ perſonæ qualis eſt is, qui permutat, *conditionaliter* videtur reſignare, videlicet, dummodo Beneficium illi quæretur; & ſi hæc conditio non impleatur, permutatio non cenſetur facta: & proinde juſ quod Reſignatario ſeu Compermutanti non quæritur, non auferitur à Reſignante, ergo nec poſſeſſione, nec titulo, niſi ſit Reſignatario quæſitus, ſpoliatur reſignans, & per conſequentes nec fructibus, qui ſunt ſequela poſſeſſionis.

IX. Hæc ille, qui ibidem *num. 5.* dicit: "Non tenetur autem Compermutans poſſeſſionem Beneficii permutati dimittere, donec & quouſque Compermutans acceptet. *Cap. si tibi abſenti* & *De Præbendis.* Nam poſſeſſio deum tranſit à reſignante ex cauſa permutacionis in Compermutantem, ſi re ipſa ſequatur permutatio: quia ſi non ſequatur, nec fortiretur effectum, videtur reſolvi poſſeſſio, ipſo juſe in reſignantem ex cauſa permutacionis, atque ita reſolviſſe Senatim Pariſienſem reſert Joannes Lucius *lib. 2. placitorum Curia tit. 4. placito 7.* ubi ſcribit, reſignanti in favorem alterius beneficii, ſi ille repudiaverit, juſ priſtinum remanere; imò in caſu illius placiti datum & conceſſum eſt eodem reſignanti interdictionem *uti poſſidetis* contra collegas, qui ipſi conſueſta munia obire volenti aditum ad illa includere volebant.

X. Teſtatur quoque Claudius Le Preſtre *Centuria 1. c. 87. judicatum 23. Jan. 1549.* quod ſi Reſignatarius non ceperit poſſeſſionem beneficii reſignati, reſignantem non amittit poſſeſſionem; neque ad ulla novæ poſſeſſionis jura tenetur. Idipſum ſapienter judicatum dicit Broudeus ad Louetium *lit. B. n. 13.*

XI. Reſert quoque Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. deſinit. 5.* quod Reſignans *in favorem* etiam poſt admiſſam reſignationem reſtitui debeat contra tertium qui eum in poſſeſſione turbaverit: "quia quod ad eum pertinet, ad cujus favorem & commodum non reſignavit, nec videtur reſignaviſſe, licet jam reſignatio in alterius favorem admiſſa ſit.

XII. Reſignationem aut renuntiationem perfici debet per admiſſionem ſive approbationem Superioris vel Ordinarii ſupra notavimus; ideoque ante hanc ſequenti admiſſionem, potius propoſitio reſignationis, vel declaratio voluntatis reſignandi dicitur, quam vera reſignatio aut renuntiatio, qua hæctenus nec Beneficio exiſtitur reſignans, nec ulli reſignatario aut alteri juſ aliquid quaſitum eſt.

Unde

Unde concluditur, quod ſi quis proponat reſignare, etiam ſi hoc redigat in ſcriptis, vel conſtituat procuratorem ad renuntiantium, poteſt poenitere, ex quo non fuit adhuc admiſſa renuntiatio à Superiore: nam res adhuc dicitur integra. Ita Flaminius *lib. 1. De Reſignat. Benef. quaſt. 12. num. 6.*

Imò etiam ſi renuntiatio vel reſignatio fuerit Superiori præſentata, ſi tamen non admiſſerit, poterit reſignans poenitere, & in Beneficio remanere, Flaminius ibidem *n. 12.*

XIII. Ulterius ſi reſignatio fiat coram Pontifice, poterit Reſignans poenitere, non tantum ſi ſupplicatio fuerit Papæ præſentata, ſed etiam per ipſum admiſſa, & ſignata per *Fiat ut petitur*; idque quamdiu conſenſus præſtitus non fuerit in Camera vel Cancellaria juxta Regulam Cancellariæ *44. De Conſenſu in Reſignacionibus*: de qua ſupra *cap. 3.* aſſertitque Joannes Chokier in Commentario ad hanc Regulam *num. 24.* hoc quoque procedere, etiam ſi ſupplicatio ſignata & *data* fuerit, etiam poſt *parvam* datam, & præſtitum *parvum* conſenſum intimando in Curia, vel Cancellaria dictam revocationem, quod latè deducit per plures conſuſiones Flaminius Paritius citata *quaſt. 12. ubi num. 39.* monet, "Quamvis conſenſus præſtitus in Camera vel Cancellaria retrorahatur ad diem *Data*, tamen non poſſe retrorahi, quando ante conſenſum ſupervenit poenitentia, & ſic extrema non ſunt habilia.

Idem, quod in reſignationibus *in favorem* obtinet, etiam in permutacionibus locum habet, ait Chokier *n. 27.*

Ratio quoque poſt reſignationem à Pontifice ſignatam, & à Datario datam & regiſtratam admittitur poenitentia & revocatio reſignationis uſque ad datum conſenſum formalem in Camera vel Cancellaria, facile intelligi poterit ex iis quæ *c. 3.* de conſenſu illo dicta ſuere.

XIV. In permutacione non tantum intervenit tacita reſignatio *in favorem* ſeu conditionalis; ſed inſuper quædam reciproca beneficiorum hinc inde reſignatio; ſeu potius tacita conditio, quod alter in alterius Beneficium ſuccederet: adeo ut Beneficiorum permutaciones nonnihil de contractu innominato, quem Jurisconſulti vocant *Doni des participare* videantur, & hoc titulo odioſæ ſunt admodum, & de Simonia admodum ſuſpectæ; & à Canonibus vix toleratæ. Hinc equidem invaluit, permutacionem non cenſeri completam, quoadjuſque alter alterius Beneficium fuerit allequutus.

XV. Unde ex Molinæo in Analyſi ad Regulam *De Publicandis Reſignat. n. 141.* reſert Broudeus ad Louetium *lit. B. numer. 13.* Si permutatio non ſequitur, quod eſt utroque, vel altero præmortiente, apparet neutrobique reſignatum eſſe, & ſic jure communi vacare per obitum.

Rationem præmiſerat Molinæus: "Quia huiusmodi reſignatio *conditionalis* eſt, prout conditionaliter ſit, & admittitur eo ipſo, quod ex cauſa certæ futuræ permutacionis, & non aliâs.

XVI. Addit quoque idem Molinæus, quod quando collatio facta eſt ab una parte tantum, tunc altero præmortiente hæc collatio ut minus reſolvatur; ipſeque Permutans, tamquam permutacione ab utraque parte non perfectæ, ad ſuum beneficium poſſit redire. "Collatio enim (ait) ex hac cauſa uni partium facta, conditionalis eſt, ſaltem conditione *reſolutoria*, etiam jure communi. Reſignatio enim ſeu vacatio à qua incipit, conditionalis eſt ergo collatio quæ ſuper ea fundatur, eadem conditione aſſicitur.

XVII. Id tamen non procedit, ſi ex circumſtantiis ſufficienter appareat, quod alter Compermutantium non curaverit de Beneficio compermutato obtinendo; ut puta ſi permutatio Beneficii notabilis facta ſit cum Beneficio admodum tenui & nullius penè conſiderationis: ita ut tota permutatio unice inſita intelligatur, ut beneficium illud notabile in Compermutantem tranſferretur: adeoque translatione illa facta, ipſa permutatio ex mente & intentione Permutantium perfecta & abſoluta cenſeri debeat.

XVIII. Conditio autem reſolutoria quæ ineſt collationi factæ vi permutacionis, non tantum operatur ſi ab initio non ſequatur effectus permutacionis; ſed etiam jam factâ utrimque collatione, & adeptâ poſſeſſione, perdurat conditio illa: quia implementum permutacionis ab utraque parte ſequi debet, & manere cum effectu.

Unde ſi hinc inde factâ collatione, & adeptâ poſſeſſione, Beneficium unum evincatur ex defectu juris permutantis, conditio reſolutiva eatenus operabitur, ut alter permutantium poſſit ruiſus ad ſuum Beneficium redire, tamquam permutacione ex parte altera non impleta; & conditione reſolutiva eveniente. Nec enim aliter, aut aliâs Beneficium ſuum dimiſſe ſeu reſignaviſſe cenſetur, niſi ut cum effectu & permanenter beneficium compermutantis obtineret.

XIX. Altercatio jam pridem fuit inter Doctores, an ſimili caſu reſignans ſeu permutans rediret ad ſuum beneficium alteri collatum ſine *novâ* collatione ſive proviſione: quam quaſtionem latè diſcutit Joannes De Selva *De Beneficiis quaſt. 27.* reſolvitque *novâ* collatione opus eſſe, quam opinionem nonnulli Canoniſtae inſpectâ juris ratione veriorem crediderunt. Contrariam verò multis contra De Selva propugnat Boëtius Epo apud Duacenſes quondam SS. Canonum Anteceſſor Primarius in tractatu de Saturnino permutacionis beneficiis jure *num. 308.* & ſequentibus, quam opinionem praxis paſſim recipit, ut teſtatur Rebuffus tractatu *De Pacificis poſſeſſoribus*: relatâ enim opinione Joannis De Selva requirentis *novam* collationem, quam & de jure veriorem exiſtimat, ſubdit *num. 166.* "Quamvis de conſuetudine Regni Franciæ non requiratur nova collatio, quæ conſuetudo multis fuit probata a reſtiſ, & hoc anno 1325. die 2. Maji & etiam anno 1339. in vigilia Aſumpcionis Beate Mariæ pro magiſtro Bricon in cauſa unius præbende Eccleſiæ Matilonenſis, permutatæ cum una Eccleſiâ Parochiali, quæ præbenda fuit evicta per magiſtrum Franciſcum de Borges per Regem nominatum. Similiter tradit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. deſinit. 35.* "Reſignatione mutua Beneficiorum inter duos factâ, ſi alter ex reſignantibus in beneficii novi poſſeſſione aut adipiſcenda aut retinenda controverſiam patiatur, priſtinam permutati poſſeſſionem, quam per reſignationem amiſerat, recuperare poteſt, nec novâ indiget proviſione. Sic à *Senatu* aliâs pronuntiatum fuiſſe relatum eſt.

XX. Idipſam ex Molinæo ad regulam *De Publicandis Reſignat. num. 247.* tradit Louëtius *lit. B. num. 13.* Verba Molinæi ſunt: "Paſſus evictionem redit ad antiquum Beneficium, titulum & poſſeſſionem *sine novâ* collatione, ſed ex veteri jure. Et ita apud nos (ait) etiam ſolo judice factum, lari adito practicum, ut *quatenus evincitur*, etiam tam in petitorio, quam in poſſeſſorio. Idque non ſolum contra ipſum Compermutantem, ſed etiam contra quemvis in veteri beneficio ſucceſſorem. Et ita notoriè practicum in hoc Regno.

XXI. Quod hic aſſerit Molinæus etiam ſolo judice *ſeculari* adito poſſe Permutantem redire ad ſuum beneficium, teſtatur quoque Rebuffus *De Pacificis poſſeſ. num. 186.* expreſſè notandum monens, quod "evicto Beneficio poſſum impetrare litteras *Regias*, ut liceat mihi redire ad meum beneficium, & hoc (ait) conceditur, ut fuit pronuntiatum anno 1536. in Vigilia Aſumptionis. Sed ſi aliquis impetrat litteras *Regias* ad annullandam permutacionem, quas dirigit iudicibus *laicis*, repellendum eſſe cenſuit idem Senatus anno 1522. die 7. Septembris.

XXII. Tameſi non videatur opus *novâ* collatione evicto beneficio permutato ob conditionem reſolutivam, quæ ipſi permutacioni ineſſe cenſetur, nihilominus, ut quis beneficii ſui realem poſſeſſionem recuperare queat, iudicis auctoritas neceſſaria eſt; præſertim cum alius jam eſt in poſſeſſione ejuſdem beneficii, quem de ſua poſſeſſione propria auctoritate deturbare non poteſt: ſed iudicis auctoritate opus eſt, quemadmodum notavit Rebuffus loco citato

num.

num. 183. & Chokier ad Regulam Cancellariæ 4. De *Clauſula ponenda in literis permutationum Beneficiorum*, quæ hodie eſt 40. eaque cavetur: "Et ſi ex cauſa permutationis reſignationes hiant, ponatur clauſula, quod neutri Permutantium jus acquiratur, niſi quilibet ipſorum jus habuerit in Beneficio per ipſum acquiſito."

XXIII. Hic reſreſſus ad beneficium reſignatum ex cauſa non impleta permutationis, nequaquam comprehenditur ſub reſreſſibus quos nemini, etiam de conſenſu, ad Beneficium Eccleſiaſticum cujuſcuſque qualitatis concedi præcipit Synodus Tridentina *ſeſſ. 25. cap. 7. De Reformatione*.

Hi enim reſreſſus hæreditariam quamdam in Eccleſiaſtica beneficia ſucceſſionem aperte fovebant; dum nimirum Reſignantes beneficia ſibi expreſſe reſervabant reſreſſum ad beneficia reſignata præmoriſcente ipſo reſignatario; ſæpius etiam, vitâ reſignantium durante Reſervatis omnibus proventibus beneficiorum reſignatorum: quare jam pridem per Parlamenta Regia, tamquam fraudulentæ, & ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis non obſcurè præferentes re-

jecti fuere, uti videre eſt in probatione libertatum Eccleſiæ Gall. cap. 36. n. 25. & 26.

At reſreſſus ex capite non impletæ permutationis, aut evicti beneficii, nullam hujusmodi ſucceſſionis ſpeciem præfert, neque illam fraudem; ſed tantum contingit, ut reſignans beneficium non privetur ſuo beneficio contra leges permutationis; quæ dicunt, beneficium reſignatum non dimitti, niſi re ipſa utrimque permutatio ſuum plenum effectum forſiatur; & ipſe reſignans ſuo beneficio non exuatur, niſi ea conditione, ſi alterius conſequatur, & re ipſa obtineat, aut ſaltem per ipſum ſtet quo minus obtineat.

XXIV. Quæ tum hoc capite, tum præcedentibus juxta modernam praxim notata ſunt, ſatis probant, quàm plurima hodie invaluiſſe, quæ priſtinam Patrum diſciplinam parum redolent; imò potius profanum modum de beneficiis diſponendi expriment: ut proinde admodum circumſpectus eſſe debeat, qui iis uti intendit: ſi omnem in ſacris Miniſteriis profanationem evitare, nihilque contra Eccleſiæ ſpiritum admittere velit.

TITULUS XXVIII.

De Penſionibus Eccleſiaſticis.

CAPUT I.

Quæ natura Penſionum; & quid de iis in Synodo Tridentina actum?

1. Penſionum naturam rectè expreſſit Concilium Delectorum Prælatorum ſub Paulo III. & quod illud Conſiſium?
2. Reſeruntur verba Concilii.
3. Quandonam ex ſententia Concilii Papa poſſit annuere penſionem.
4. Abusus in dandis penſionibus.
5. Descriptio penſionis hic tradita conformis penſionibus jam pridem ab Eccleſia probatis.
6. Primum exemplum penſionis ex Synodo Calchedonenſi.
7. Secundum exemplum ab eadem Synodo probatum.
8. Tertium ex illa Synodo deſumptum.
9. Nonnulla penſionis exempla ex S. Gregorio.
10. Hæc penſiones planè conformes deſcriptum à Concilio Delectorum Prælatorum tradita.
11. Priſtinus penſionum uſus nulli diſplicuit; at in abuſum degeneratus pluribus meritis diſplicuit.
12. In Synodo Tridentina à nonnullis dictum uſum penſionum eſſe reformandum.
13. Oratoribus Regis Gallie ad Synodum Tridentinam injunctum, ut poſtularerent à Synodo ſtatuumdum, ne ſuperius ex cauſa reſignationis, vel litigii penſio conſtitueretur.
14. Nomine Regis Gallie petita abolitio penſionum.
15. Pontifex non judicavit penſionum uſum totaliter tenendum; ſed eas cen quaſdam eleemoſynas ſubinde annui poſſe.
16. Quare nonnulli Concilii Patres omnem penſionum uſum tollendum judicarent.
17. Oratores Regis Gallie expoſtulantes contra uſum penſionum oſtenderunt, ſecutiſſimè eorum abuſum carpere.
18. Expoſtulatione eorumdem contra Decretum Synodi, quo penſionum uſus probari videbatur.
19. Primum ne Decretum fuiſſet propoſitum, multi reclamantes.

20. Quomodo tandem Decretum reformatum & admiſſum; & quod de eo Patrum judicium?
21. Nota huic Decreto ab Oratoribus Regis Gallie apoſita.
22. Proteſtatio Cardinalis Lotbaringia ſuper hoc aliſque Decretis in Synodo Tridentina evulgatis.
23. Synodus Tridentina uſum penſionum nec poſitive probavit; nec totaliter improbat.
24. Pontifex Synodo per Legatos præſidens penſiones eſſe quaſdam eleemoſynas dixit.
25. Sanctus Carolus forſiter ſe introductioni penſionum oppoſuit, conformiter ad menſem Synodi Tridentina.
26. Uſum tamen totaliter non improbat; ſed eamdem de iis ideam expreſſit, quam Concilium Delectorum Prælatorum expreſſerat.

I. Eniſſimam ac planiſſimam Penſionum Eccleſiaſticarum deſcriptionem exhibuit ſub initium præteriti ſæculi Conſiſium Romanum ſub Paulo III. quod communiter vocatur, *Conſiſium Delectorum Prælatorum ſub Paulo III.* extatque in antiqua Collectione Conciliorum Crabbiana; atque deinceps frequenter reſuſcitum, & à viris doctiſſimis ſummopere laudatum; ejuſque meminit Joannes Coclæus in libro de actis & ſcriptis Lutheri ad annum 1539. ubi hæc de illo Conſiſio inter cætera ſcribit: "Evulgatum fuit, inſcio, Pontifice, egregium quoddam conſiſium de reformanda Eccleſia, & emendandis Romanæ Curie abuſibus, à ſeptem (credo legendum novem) doctiſſimis ac integerrimis viris ipſi Pontifici in ſecreto datum: nempe à Card. Contareno, Card. Theatino, Card. Sadoletto, Card. Polo Anglico: Archiepiſcopis Salernitano & Brundufino, Epifcopo Veronenſi, Abbate S. Georgii Veneto, & à F. Thoma Magiſtro ſacri Palatii." Hæc ille, qui paulo infra vocat, hoc piſum ac ſalutare optimorum virorum Conſiſium.

II. In hoc Concilio Doctiſſimi illi ac integerrimi viri penſionum naturam ac rectum uſum his verbis expreſſerunt. "Alius abuſus, cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepit, in conſtituendis ſuper eorum fru-

ctibus penſionibus; imò quandoque cedens beneficio omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum, nulla alia de cauſa, nullòque alio jure Penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent.

Fundamentum ſui aſſerti dein ſubiungunt: "Næſi reſreſſus ſunt annexi beneficio ut corpus animo: ideo ſua natura pertinent ad eum qui beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſtè pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & templi ſacratumque aditum reparatione, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus; hæc eſt enim natura reddituum."

III. Poſthæc exponunt qua rationes, & quo caſu Pontifex Penſionem conſtituere poſſit. "Verum ſicuti in rerum natura adminiſtratione nonnulla ſunt à natura univerſali præter inclinationem univerſalis nature: ſic in Pontifice, qui eſt univerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem quæ in pios uſus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium uſum, ut expendatur magis expedire, poſſit procul dubio id facere. Ideò jure merito penſionem ponere poſſet, ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſtè queat vitam ducere, pro ejuſdem ordine."

IV. Ex his dein concludunt: "Ideò omnes fructus reſervari adimique id omne, quod divino cultui, ſuſtentationique habentis beneficium, tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemque penſiones dari Clericis divitiſus, qui commode & honeſtè vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certè abuſus, tollendus uterque."

V. Itaque ex ſententia hujus laudatiſſimi Patrum Concilii, penſiones aliud non ſunt, quàm portio aliqua proventuum quæ honeſtè ſuſtentationi habentis beneficium ſuſtinetur, per modum cujuſdam eleemoſynæ in ſuſtentationem alicuius Clerici reſervata vel assignata.

Hæc penſiones Eccleſiaſtica deſcriptio, ſi conferatur cum penſionibus, quas priſtina Eccleſiæ diſciplina admittit & probavit, apparebit, eam eſſe veriſſimam, ex mente Eccleſiæ, penſionis deſcriptionem, & naturam; neque aliam unquam ab Eccleſia fuiſſe approbatam; licet nonnullas penſiones huic deſcriptioni haud conſonas tolerare cogatur.

VI. In Concilio Calchedonenſi *Actione 10.* legitur, quòd Maximus ordinatus Epifcopus Antiochenus in locum Domni per Synodum depoſiti, rogaverit Patres Concilii ut humanitatem in Domnum exercere vellent, assignando ei aliquam portionem proventuum Eccleſiæ Antiochenæ in ſuſtentationem. Verba Maximi ſunt: "Deprecor magnificentiſſimos & gloriſſimos iudices, & ſanctam hæc & univerſalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epifcopus, dignemini, & ſtatuerent ei certos ſumptus de Eccleſia quæ ſub me eſt."

Ad hæc Legati Sedis Apoſtolicæ reſponderunt: "Si quidem Maximus ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum, ut ſumptus ei de ſua Eccleſia, miſerationis intuitu, prout æſtimaverit, largiatur, ut contentus alimonis, quiete in poſterum."

Hoc reſponſum tota Synodus, una cum iudicibus, qui nomine Imperatoris Marciani aderant, comprobavit.

VII. In eodem Concilio *Actione 12.* diſcuſa cauſa Stephani & Baſſiani de Sede Epheliſina contententium, judicatum fuit, in utroque remoto tertius ordinaretur Epifcopus Epheliſinus, ſub hæc moderatione: "Removebantur quidem à ſancta Epheliſiorum Eccleſia Baſſianus & Stephanus reverendiſſimi; habeant autem dignitatem Epifcopi, & ex redditibus memoratæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ, nutrimenti gratia & conſolationis, annis ſingulis ſolidos aureos ducentos accipiant, alter vero ſecundum regulas ejuſdem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, Epifcopus ordinabitur."

Tamen ſi hic penſionis nomen expreſſum non ſit, nemo tamen negaverit, quin revera hiſce Epifcopis ex redditibus

Eccleſiarum quas deſerere coacti erant, miſerationis intuitu, & nutrimenti cauſa concedi fuerit, probante Concilio univerſali, quædam portio, coincidens cum ea, quæ hodie penſio dicitur; ſi modo ea detur juxta deſcriptionem & uſum ex citato Concilio propoſitum.

VIII. Eſt aliud in eodem Concilio Calchedonenſi Penſionis exemplum non abſimile prioribus; in quo tamen & illud notandum occurrit, quod expreſſe caveatur, ut penſio non tantum commenſuretur neceſſitatibus ipſius Penſionarii, ſed inſuper facultatibus Eccleſiæ cui imponitur: idque ſecundum conditionem proventuum Eccleſiaſticorum, quæ exigit, ut ex iis prius provideatur honeſtæ ſuſtentationi Miniſtrorum aliſque neceſſitatibus Eccleſiæ; & tum demum, ex ſuperſuis aliis indigentibus, etiam Clericis ſuccurratur, quemadmodum prædictum Concilium Delectorum Prælatorum notavit.

Voluit ergo Concilium Calchedonenſe *Actione 14.* ut caſu quo Athanaſius reſtitueretur Eccleſiæ Parthenorum, tunc Sabiano, qui in locum Athanaſii fuerat ordinatus, daretur penſio. Verba Concilii ſunt: "Sabianus verò reverendiſſimus Epifcopus, & dignitatem Epifcopatus habeat, & ſubſtitutus ſit, & paſcatur, ſicut Reverendiſſimus Epifcopus Antiochenorum Maximus, ſecundum facultatem Parthenorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ, diſpoſuerit."

IX. Similia penſionis exempla non pauca occurrunt apud S. Gregorium, ac ſignanter *lib. 1. Epiftole 7.* ubi Eucherio Epifcopo ſcribit de quodam Epifcopo, quod ſi verum ſit, eum tantam capius paſſionem incurtiſſe; ut quod mente alienata agere ſolet, gemitus & ſletus audire ſit, alius in locum ejus ordinetur: ſic tamen, ut quotiſque eundem in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti, de eadem Eccleſia miniſtrantur.

Species quoque penſionis dici poſſet ſubventio quam idem ſanctus Pontifex ſubminiſtrari vult Epifcopis, quos hoſtilitatis furor ex Eccleſiis ſuis expulerat, & captivitatis diverſarumque neceſſitatum anguſtiæ comprimebant: de quibus ad Epifcopos per Illyricum conſtitutos ita ſcribit *lib. 1. epiftole 43.* quod hos debeant conſolandoſque ſibi in Eccleſiaſticis ſuſtentationibus liberè ſuſcipere. "Non quidem ut per communionem Epifcopalis throni dignitas dividatur, ſed ut ab Eccleſia juxta poſſibilitatem ſufficientia debeant alimenta percipere."

X. Hæc aliæque probata penſionis exempla ſi expendantur, & conferantur cum deſcriptione, quam citatum Concilium Delectorum Prælatorum delineavit, patebit, penſiones jam pridem ab Eccleſia probatas planè coincidere cum ea Prælatorum deſcriptione; atque penſiones revera ex intentione Eccleſiæ non eſſe concedendas, niſi ut quaſdam eleemoſynas Clericis indigentibus.

XI. Quamdiu autem ea Penſionum moderatio ſervata fuit, nulla quoque legitur contra eas facta Eccleſiæ oppoſitio. Sciebat enim hæc nihil injuſtiæ ſubteſſe, ſi ex proventibus Eccleſiaſticis, qui ſuſtentationi Miniſtrorum Eccleſiæ ſuperſunt, neceſſitatibus aliorum Clericorum indigentium provideatur.

At tum labentibus ſæculis prætextu Penſionum ceperunt proventus Eccleſiaſtici veris Titularibus & Miniſtris Eccleſiarum ſubtrahi, & aliis non indigentibus indifferenter & ſine ulla moderatione reſervari, cum ſumma proventuum Eccleſiaſticorum inverſione & dilapidatione, nequaquam deſuere, qui hujusmodi abuſu reſervationum, pallio Penſionum tecto, ſe oppoſuerunt dicentes Penſionum hunc non eſſe legitimum uſum, ſed maximum abuſum.

Plura in decurſu hujus materiæ occurrunt, quæ hanc oppoſitionem probant, hic dumtaxat oſtendam, quid in Synodo Tridentina de uſu Penſionum dictum ſtatutumque fuerit, & an alium probaverit, quàm eum quem expreſſit Concilium illud Delectorum Prælatorum, quod ipſi Concilio Tridentino præluſerat; & ſpecialim à Paulo III. indicatum